

IV, Zb
9115

F.K. 53 (6)
RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

CAROLVS DANIEL
FREYBERG

LOGICES ET METAPHYSICES PROFESSOR
PVBLCVS ORDINARIVS ET FACVLTATIS
PHILOSOPHICAE H. T. PRODECANVS

B E A T A M
MEMORIAM ATQVE OPTIMAM
VIRI
MAXIME REVERENDI AMPLISSIMI
DOCTISSIMI QVE

CAROLI FRIDERICI
HOFMANNI

ART. LIB. MAG. ET COETVS SCHLIBENENSIS
PRAEPOSITI

A C

DIOCESEOS EIVSDEM SVPERINTENDENTIS

EID. IVN. CICICCCCLXXII

V I T A D E F V N C T I

R E N O V A T

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DURRII

ACADEMIAE A TYPIS



Tam celeri sequitur gradu suauissimam coniugem maritus, qua cum copula nunquam erupta uixerat. O spes hominum fallaces. Adeo nihil in rebus humanis firmum reperitur et constans, cum uinculum, quo nihil arctius uidetur, praeter expectationem dissoluitur. Quae quidem disiunctio quam plena luctus sit ac moeroris, aiae Capitolinae monstrat inscriptio, a Volkmanno Historico Criticis de Italia narrationibus inserta (T. II. p. 501.) quam quoties lego, uix mihi ab lacrymis temporo. Continet ea colloquium dulcissimum inter Atimetum, atque Homonoeam, coniugio iucundissimo sibi iunctam, sed immatura morte eretam, flebili carmine conceptum. Laudatur corporis pulchritudo, uxori tributa, ac multo magis uenustas animi, Palladis artibus eruditii. Quanto longiorem ciet fletum decessus illius nec opinatus, quo, neclum completis uiginti annis, inuida fata manus ei iniecerint. Nec tamen casum deplorat suum Homonoea, sed uiri plangorem. *non pro me queror hoc, morte est mibi tristior ipsa moeror Atimetii coniugis ille mei.* Nihil autem ualent hae querelae ad uulnus acerbissimum sanandum, stat potius Atimeto, iacturam, nullo modo compensandam, in uiduitate lugere ac solitudine, diemque supremum maturare. *si pensare animas sinerent crudelia fata, et posset redimi morte aliena salus, quantulacunque meae debentur tempora uitae, pensarem pro te, cara Homonoea, libens.* At nunc, quod possum, fugiam lucemque Deosque, ut te matura per styga morte sequar. Nec uero coniux coniugis fert desperationem, ac dolorem fomentis solatiisque mitigat, proposita moriendi necessitate communi. *nil profundit lacrymae, nec possunt fata moueri.* Viximus, bic omnes exitus unus habet. Postremo nihil prius habet, nihil antiquius precibus, ut vitae spatium maritalis annorum, sibi detractorum, laetis accessionibus augatur. *Parce ita, non unquam similem experiare dolorem, et faueant uotis numina cuncta tuis.* Quodque mibi eripuit mors immatura iuuentae, id tibi uicturo proroget ulterius. En imago connubii fausti primo, deinde funesti. Habet quidem maris coniunctio et feminae ipsa per se plurimum commoditatis ac delectationis, quae societatem omnium fortunarum, omnis uitae consortium devicit. Quod si consensus uoluntatum concordiaque accesserit, cumulatior illius existit gratia, quod in duobus corporibus unus inest animus, idemque uelle atque idem nolle ueram magis magisque firmat amicitiam. Qua propter ueteres Homonoeam in coelo collocarunt, eamque singulari religione coluerunt, illius nomine liberis imposito, sicut Atimetii socia tori eadem fuit appellatione decorta. Omnes uero charitates necessitudinis, ipsa natura duce iunctae, complectitur quotidianus subolis conspectus, et, sicut parentum refert imaginem, ita moribus blandis, ac spe nominis prodendi misifice recreat. Quid ad hanc posset amoenitatem addi, nisi funus triste

triste domum tot gaudiis uacuam saepe faceret. Tunc, quo pluribus uita prius deliciis abundauit, eo grauior lamentatio succedit. Duplicat dolorem superstitis progeniei tenera aetas, matris praesertim curis fulcienda, huiusque desiderium, satis acre, incredibili sollicitudine onerat. Quid mirum, si patris corpus debile molestiis angoribusque conficitur, ut citius, quam natura uocat, de uita decedat, malaque domestica malis obruat

Ad talem peruenit exitum **HOFMANNVS**, facrorum Schlibenensis antistes, maturius, eheu, nobis subtractus. Temporis tamen, quod uixit, breuitatem recte factorum laudibus expluit. Haec enim numerare, non annos, debemus, si suum cuique uolumus preium statuere. Contemplemur igitur uitae, quem confecit ille, cursum, uirtutesque iusto paeconio illustremus. Sic habebunt filioi, ab eo relieti, honestatis exemplum, quod, tanquam speculum, intueantur, quod consimili decore imitantur. Sic Parrens, et propinqua cognatione coniuncti habebunt solatium, mortuique desiderium expresso eius simulacro lenient. Sic posteritas habebit monumentum in beatam memoriam atque optimam, uiro que terram leuem precabitur, qui ingenii uim conformatioe doctrinae fideli, assidaque limauit exercitatione, et, rebus paeclare gestis, metam, ad quam cuncti contendimus, feliciter occupauit

Ac felicitatem quidem debet ingenii parentibus, dignitatis tantae, quanti in prolem amoris, Viro summopere uenerando amplissimoque, **CAROLO GOTTLLOB HOFMANNO**, Theologo huius literarum sedis primario, senatus sacri electoralis assessori, pastori huius oppidi, dioecesis Vitembergensis, et circuli electoralis Saxonici superintendenti generali, eminentibus tot annorum meritis cumulatissimo, tum, cum filius nasceretur, ecclesiastae ad S. Petri, et catechetae principi, tam communis Lipsiae existimationis, ut adhuc ingens sui desiderium eloquentia dulci relinquat, ac **RAHELI ELISABETAE**, a gente Bartschia clarissima oriundae, cuius uitae finem, superiore anno, tristi sumus paeicatione prosecuti. Prodiit in lucem **CIO IOCC XXXVIII. IV.** Eid. Aug. Lipsiae, urbe celeberrima, mercatura magis bonarum artium, quam diuinarum, tot paeestantissimorum uirum patria, atque in omni re publica uersatissimorum. Quo labem, generi mortali insitam, sine mora deponeret, in gratiam recipiendus diuinam, ad sacrum fuit lauacrum deductus, sponsori bus foederis, cum Deo ineundi, praeter Rahelem Elisabetam Bartschiam, auiam, Salomone Deylingio, Theologo ac Lipsiensium praefule, et Godofredo Urbano Sibero, Theologiae Doctore, Archidiacono ad S. Thomae, et Professore Publico Antiquitatum sacrarum, nominibus magnis, eoque consilio commemoratis, quod Hofmannum beatum ab ineunte aetate illorum doctrinae copia, et gloria uirtutum, ad laudem similem summopere excitauit. Anno

statim sequente, sub festum Martino diem, patrium relinquere solum debuit, sed sidere felicissimo, patre, cuius fama Regis Potentissimi animum pepulerat, euocato Vitembergam, ad docendas ibi sanctiores literas, coetumque, Deo consecratum, doctrina coelesti imbuendum. Hic principio tot corporis languidi uicissitudinibus pressus laborauit, ut parum fiduciae ad uitam longiorem superesset. At, sicut herbae tenerae, saepius humi prostratae, praeter expectationem resurgunt, laetusque uigent, sic Hofmanni uires, sensim ac pedetentim crescentes, animi quoque robur ualetudine commodiore firmarunt. Matris enim, ad liberos educandos natae, cura nunquam remissa filii fragilitatem fouerat, cuius ille memoriam nulla deleuit obliuione, eiusque funeri, lacrymis effusis, iusta nuper soluit. Filii uero, spei non vulgaris, mentem pater praecipue formandam suscepit, eamque non scientia minus auxit, quam exemplo quotidiano, uia docendi breuissima, ad omnem honestatem permouit. Nec defuit noster opinioni paternae, de se conceptae, sed ardore discendi, obsequio, morumque modestia educandi nutriuit assiduitatem. Namque illud Tullianum sensibus semper intimis infixum tenuit, optimam hereditatem a patribus tradi liberis, omniisque patrimonio praestantiorum, gloriam uirtutis rerumque gestarum, cui dedecori esse nefas atque impium iudicauit. Quibus incensus igniculis, puerilia domi elementa addidicit uelocius, praceptoribus traditus, et peritis instituendae huius aetatulae, et laboris patientibus, in quibus M. Mulertus, sacerdos Roefensis, optime de coetu suo meritus, eum docuit primas literas, nuper alumnnum disciplinae ad coelites antegressus. Attamen natum, proficiensem mirifice, patris maluit prudentia scholae celebritati, publicisque praceptoribus tradere, quam intra priuatos parietes latenter continere. In ludum igitur se contulit oppidanum, cui tum praefuit Hillerus, hodieque gaudens in sinu, quoties spatium praeteriti temporis respicit, et frequentiam docilis iuuentutis recordatur ac moratae, ex qua iam sunt multi ad illustres dignitates electi. Sed, praeter complures alios, Hofmannum amauit impense, quem ad modum hic magistrum sic in oculis tulit, ut illi fere soli sese daret, amicitiamque, inter Musas amoenissimas contractam, quoad uixit, coleret sincere, communicatis consiliis, et colloquiis suauiter et blande mistis. Quo maiore tristitia ad tumulum eius accedit ille, et, flores spargens purpureos, uale postremum Hofmanno quondam suo dicit. Quidni moeret, memor aemulationis, qua in omni genere humanitatis cum condiscipulis certauit, qua turpe iudicauit aequalibus cedere, pulchrum uicisse maiores. Praeparatis linguarum subsidiis, artiumque instrumentis necessariis, ad academiam nostrarem cum spe minime dubia rei bene gerundae accessit CICIO CCLIV. Primum philosophiae studuit praceptis

ceptis institutisque abundare, Basiliū secutus, qui, cum liberalis
doctrinae causa moraretur Athenis, ante omnia sapientiae studia
capessiuit, ac postea demum se ad rerum scientiam diuinārum con-
tulit, magnis ad scopum spatiis progressius, ratione et iudicio sibi
propositum. Quod iter expediturus, ab Hillero comite diuelli rur-
sus non potuit, cum eo totum huncce sine intermissione campum
emensus. Recte libertati philosophandi seruuit, ab eo commone-
factus, nullius in uerba iurandum, sed, apis instar sedulae, undecun-
que, quicquid salubre sit ac frugiferum, colligendum. Nec barba-
rae placuerunt spinae, aut obscurae tricae, quas ne auctores quidem
ipſi intelligunt. Disputandi potius subtilitatem literarum illustrauit
elegantia, eiusque partes omnes eodem socio peregit, amice pro-
fessus, hunc sibi principem et ad suscipiendam, et ad ingrediendam
rationem huius disciplinae extitisse. Sic se gerendo, quantas oppor-
tunitates historia compararet, quam primum sensit, eoque cupidius
audiit Ritterum, ut omnis cognitionis fundamenta poneret firma.
Iunxit Mathematica, a Weidlero tradita, quibus ad meditandi pa-
tientiam, ordinis seueritatem, probandique neruos assuefieret. Si-
mul uoluptatis plurimum ex orientis cultu cepit, ac, praeter Boetti-
cherum, Schwarzium maxime de legit, hisce copiis instructissimum,
atque hoc iucundiore cum eo temporibus in sequentibus affinitate
coniunctum. Ab hoc primum in lucem productus, defensa magna
cum laude diatribe, de memoria saeculari Vitembergæ, anno, quo
pax religioni sanctiori diuinitus data est, florentis, CICICCLV se
totum ad doctrinæ notitiam coelestis conuertit, cuius cauſa in his
praesidiis apparandis occupatus tantopere fuerat. Narrationem
praefulſit rerum in ciuitate Christi gestarum, eamque a Wernsdor-
fio accepit. Weickmanni scholas haud neglexit, atque in utram-
que partem locos religionis grauiores anquisiuit. In uniuersis tam-
en ac singulis Theologiae partibus facem praetulit in primis pa-
rens, cuius perspicuitate, accuratione, munditie, ab nouandi libidine
aliena, follertia nihil ad scholam, ad uitam cuncta, referendi, se
diligentissime conformauit. Nec satis habuit, praeceptionem mo-
do gustasse, sed ab eodem summo dicendi artifice cognitione com-
prehendit artem perspicue, copiose, ornate, interiores sacrorum re-
cessus aperiundi. In curfu tam laudabili iam complures alii consti-
tissent, industriae praemia captantes. Hofmanni uero nostri uirtus
non conquieuit, diuitiasque congestas locupletare concupiuit. De-
sideriis honestissimis inflammatum natalis amor urbis subiit, ad or-
nandam Theologicam suppelleſtilem, librorum undique conquiſi-
torum dilectu, accommodatissimac. Itaque, uenia a parentibus li-
bentissime data, Lipsiam petiit CICICCLVIII, ab Ernesti, Viro
maxima ueneratione suspicioendo, hospitio comiter exceptus. Cu-
ius prolixam uoluntatem se modis omnibus iuuandi sicut insigniter
prae-

praedicauit, ita Crusii ac Stemleri, Virum spectatissimorum, in se
studia maximi fecit. Cum primis B. Schuberti, consulis Lipsiensis,
et consiliarii aulici ac iustitiae, gratiam tanto facilius sibi concilia-
uit, quod illum a matre cognitione ac necessitudine attigerat.
Dotes uero, magis exultaes magisque, inclytum Philosophorum
Lipsiensium ordinem permouerunt, ut in eum magistri, quem uo-
cant, nostri honorem merito suo conferret. Huius enim dignita-
tem **cicccclix** publica tuitus commentatione, *de sepulchro Con-
stantini M.*, locum inter magistros legentes obtinuit, docendique
in cathedra Philosophica facultatem. Belli uero diuturni atrocis-
que discrimina coegerunt ipsum in gremium parentum, multi-
plicibus iniuriis pressorum, redire, mutuamque opem ferre. Sic
academia nostra rursus eum sibi vindicauit, Ordini Philosophico
propius adiunctum, publico honorificoque specimine virtutis edito
cicccclx *de ara uictoriae, Chribianiis imperatoribus inuisa*. Hic
erat annus iste fatalis urbis nostrae, quo ab amicis circunsessa, glo-
bis igneis obruebatur adeo, ut praecipua eius pars adhuc distracta
iaceat. Nostrum tamen Hofmannum cum parentibus diuina
texit prouidentia, atque e fauibus interitus erectum conseruauit.
Tristibus laeta, secunda successerunt aduersis. Neque enim modo
ille **cicccclxii**. Decani Philosophici munere fungens, xxxv.
candidatos summis in philosophia honoribus auxit, sed etiam le-
ctionibus uariis, tam rerum diuinarum scientiam humanarumque,
quam liberales artes, pertractauit, nauitate meritus, ut, loco in eodem
collegio uacante, Principi Serenissimo res spesque suae subie-
ctissime commendarentur. Sed alio mens diuina spectauit, flexis
patrum academie studiis, ut **cicccclxiv** ipsum coetui Schliben-
nensi praeficerent, quem locum Regis indulgentia Potentissimi
Superintendentis amplitudine decorauit. Nihil autem iucundius
contingere patri potuit filioque, quam quod Dominica **xxii** Tri-
nit. anni eiusdem licuit illi hunc sacrae prouinciae splendidaeque
consecrare, ad templum confluente magna hominum multitudine,
animisque religione perfusis, insignem ambobus uoluptatem con-
gratulante. Prius uero, quam partes, sibi datas, susciperet, Dres-
dae uenit in publicum colloquium cum Theologis Senatus in
Saxonia sacra summi, multorum sanctissimorumque de ciuitate Dei
meritorum, e quo non vulgarem commendationem deportauit,
huiusque beneficii caussa numini gratias egit immortales. Quo
molestias rei familiaris subleuaret, uitae quae siuit sociam, fortu-
natoque diuinitus successu reperit, duxa **cicccclxv. xv. Kal.**
Oetobr. in matrimonium **IOANNA MAGDALENA CONCOR-**
DIA, filia **POLYCARPI SAMVELIS WAGNERI**, consulis atque
aerario praefecti prudentissimi, cuius memoriam tam diu ciuitas
seruabit Vitembergensis, quoad illam, quantum salutaribus eius
consiliis

consiliis profecerit, non poenitebit. Hic ei modestos illos amabilesque mores ingenerauit, ut omnibus officiis marito satisfaceret, eiusdemque animum quatuor liberum partu non mediocriter obliteraret. Duo tamen natu maiores uix lucem uiderant, cum rursus illa priuarentur. Quod incommodum pater tulit lenius, superstitibus puerulis ingenui uultus, Ioanne Friderico, oris effigie paterni, et Friderico Gottlibio. Adhuc Hofmanno fere cuncta ex animi sententia fluxerant, cum breue temporis interuallum delicias omnes consumpsit. Amisit primo sacerdotum, sibi deditissimum, neque ita multo post matrem, sui amantissimam. Quoniam uero habebat, in cuius gremium sollicitudines omnes doloresque deponeret, mox se se collegit. At, coniugis sublato solatio, exeunte anno CICCCCLXXI resistere aegritudini non potuit, et cum ualetudine in gratiam redire. Eneruatus igitur macie lenta, parentem, salutis nati cupidissimum, mouit, ut huc eum uocaret, quo solutiore animo tranquillioreque Selteranis acidulis uteretur. Sed morbi uis, medicina grauior, eum repentinae tradidit morti, qua in complexu patrio, precibus Deo supplicibus commendatus, nouissime Eid. Iun. non emortuus magis est, quam in mediis uitae laboribus obdormiuit. Viuit tamen scriptis, in uario eruditionis genere elaboratis. Haud ignarus, quantum ciuitatis a Christo nominatae prosit historia, hanc ex incorruptis hausit monumentis, et, quanta fecerit spatia, duabus dissertationibus, superiore loco memoratis, de sepulchro Constantini M. araque uictoriae, luculenter ostendit, probatus Ernestio, acutissimo huius elegantiae arbitro (in noua Bibl. Theol. T. I. p. 851) Singulari uero iucunditate eum cepit profanarum peruestigatio antiquitatum, ad interpretandum codicem sacrum translata, quo pertinet disputatio *de ludis Isthmicis in N. T. commemoratis* Vitembergae CICCCCLX habita. Pari diligentia duabus exercitationibus anno huius saeculi LXII et LXIV *de postulationibus ueterum Romanorum* egit, siue expiationibus prodigiorum, ut, quam parum ratio in Deo reconciliando ualeat, constaret. Diuinis tamen oraculis explanandis plurimum temporis tribuit, atque *Elisae osculum* Reg. XIX. 20. accuratius contemplatus, CICCCCLXIII patri natalem sexagesimum faustum fuit felicemque comprecatus, paullo ante in morbum fere pestiferum implicito, feliciterque recreato. At cum, iudice Quinetilio, praecedat enarrationem lectio emenda ta, Criticam quoque non putauit spernendam, licentiamque Wetsteini castigauit *prolusione in Act. XX. 28.* qua orationes sacras animuerarias in dioecesi Schlibenensi CICCCCLXVIII. indixit, defensa lectione Θεοῦ peruulgata, in cuius locum Kugelou iste substituerat. Maximam denique commendationem sibi comparauit e nouissimo scripro Germanico, *indice suspicioforum pronuntiatorum in Büschingii generalibus animaduersionibus*, quibus professiones coetus Lutherani publicas oppugnauit. Omne punctum iure suo tulit ab auctoribus ephe-

FK 26 7115

X 305 3361

ephemeridum Gedanensium (T. IX. p. 578) pro monumentis dimicantis, quibus sentiendi licentia coercetur, rectus de rebus diuinis sensus informatur, magnaue societatis nostrae iura in tuto collocantur. Affectam reliquit *disquisitionem Philosophicam*, de via Dei demonstrandi per notionem perfectissimae naturae, Moshemii dubitationes soluturus. Egregium sane Philosophiae sublimioris argumentum, ab Anselmo propositum, a Cartesio limatum, ab Leibnitio perfectum, qui illud caeteris omnibus rationibus anteposuit. *Christi* quoque *discipulum* coepit in sua considerare *imbecillitate*, lingua uernacula, castiorem sine dubitatione futurum Christiano isto in solitudine. Quae cuncta, ab eo scite composita, sicut animum literis multimodis cultum spirant, sic omnis uita pietatem honestatemque loquitur. Deum quidem sancta fuit mente ueneratus, ne uiam monstraret aliis, sibi semitam, hominum, fidei suae commissorum, studuit, mores sensu religionis emollire, quo ratio sibi apud iudicem seuerissimum constarer. Sacerdotes, quibus praefuit, comiter tractauit, apte tamen auctoritati. In doctrinae fundamento purae fortiter stetit, dissimilimus levitatis eorum, qui, uelut maris fluctus, modo huc, modo illuc, iactantur. Temperatum uiuendi genus atque aequabile ab incunabulis placuit uiro, forte sua contento, quae tranquillitas attulit tum constantiam, tum dignitatem. Domum rexit prudenter ac frugaliter, cum Concordia sua in gratiam rediit nunquam, liberos digne educauit. Alios dilexit integre, remotus longe ab simulatione uerborum inanum ac uanitatem, qua tot ueteratores inter se decipiunt. Fratrum charitate Sororumque flagravit, Affines obseruauit peroffciose, Parentes in deliciis habuit. Mirum profecto fuit amoris certamen patris cum filio moribundo. Lacrymans ille huic acclamauit, tu me tempore uitae nullo unquam offendisti, hic illius dextram, ab sua firmiter apprehensam, exosculatus, eum postremo ualere iussit, atque in Iesu uulneribus totus defixus acquieuit. Difficile est, Vir aetate meritisque Venerabilis, te consolari, nato, tibi charissimo, orbum, de quo illud P. Licinii Calci (Liu. V. 18) optimo poteras iure praedicare, *bunc ego, institutum disciplina mea, uicarium pro me rei publicae sacrae do dicoque*. Sed cum nuper Coniugis excessum tuleris pulcherrime, hanc quoque calamitatem, fac, altera mente perferas. Fruere potius uegeta senectute, quam, nihil habes, quod incuses, fruere caeterorum Liberum Generorumque stabili fortuna, fruere gloria uirtutum, quas nulla aetas oblitterabit. *Vos, Cives*, iungite mecum uota assida, ut Hofmannus noster serus euenatur in coelum, et quam diutissime rebus nostris intersit, ut nepotes numen ad aui decora patrisque semper conuertat, ut finem faciat casibus funestis, quibus Gens illius usque ad hoc tempus in luctu squaloreque iacuit, eamque nouis obsequentiis felicitatis munieribus amplificatam, clemens ac propitius tueatur. P. P. Domin. vi. post Fest. Trinitatis 1510 CCCLXXII

IV
Zb
7115

F.K. 53
RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

CAROLVS DANIEL FREYBERG

LOGICES ET METAPHYSICES PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIVS ET FACVLTATIS
PHILOSOPHICAЕ H. T. PRODECANVS

B E A T A M
MEMORIAM ATQVE OPTIMAM

V I R I
E REVERENDI AMPLISSIMI
DOCTISSIMI QVE

OLI FRIDERICI OFMANNI

MAG. ET COETVS SCHLIBENENSIS
PRAEPOSITI

A C

EOS EIVSDEM SVPERINTENDENTIS
EID. IVN. CICICCCCLXXII
ITA DEFVNCTI
RENOVAT

Farbkarte #13



VITEMBERGAE
TERIS CAROLI CHRISTIANI DURRII
ACADEMIAE & TXIS

